ANTONII MASSAE GALLESII DE RE FRVMENTARIA.



Romæ apud Antonium Bladum,
Impreſſorem Cameræ Apoſt.
M. D. LV.

CAPITA RERVM.

1 Annonæ affiniumq; illi uocabulorum declaratio.

2 Cauſæ, propter quas contingit annonæ copia & inopia.

3 Conditores Ciuitatũ proſpicere debent unde illis futura ſint alimẽta.

4. et ſeqq. Conditis Ciuitatibus, quibus cautionibus Annonę copia ſit procuranda, & arcenda inopia.

8 Agriculturæ ſtudium exercendum & tuendum.

9 Annonæ curam non eſſe magnis principibus indignam.

10 Quæ incommoda inſequantur, ſi annonæ cura negligatur.

11 Occurrente penuria, quibus rationibus proſpiciendum ſit, ne tranſeat in famem.

12 Vt inopia uigente Princeps à luxu temperet.

13 An, & quo pacto uigente penuria cogendi ſint priuati, ut frumentum quod habent, in commune proferant.

14 Quæ de una Ciuitate dicta ſunt, conuenire etiam pluribus Ciuitatibus, & prouincijs unius ditioni ſubditis.

15 De inſtituendo magiſtratu ſuper annonæ præfectura.

ANTONIVS MASSA, VITELLOTIO VITELLIO S. P. D.

CVM ex eo collegio, quod ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitati, opibusq́; tuendis eſt inſtitutum: & in quod tu iampridem adhuc iuuenis cum propter nobiliſſimæ familiæ ſplendorem, tum propter ſummam religionem, omniumq́; uirtutum maturitatem es cooptatus; Paulus IIII. Pont. Max. te delegiſſet, quem annonæ præficeret: illius diuinam ſapientiam, quod iampridem facere cœpi: maiorem in modum ſum admiratus: & tibi, cui magnum, et amplum eſt ſanctiſſimi uiri præclaro iudicio probatum eſſe, uehementer ſum gratulatus. Is enim Princeps religioſiſſimus ad remp. Chriſtianam ornandam, ac tuendam diuino conſilio natus, & inſtitutus, cui nihil magis propoſitum eſt, quàm vt Eccleſiam Dei ſacroſanctam temporum vitijs afflictam, ac deformatam in priſtinam dignitatem vindicet; iſtam adminiſtrationem, quam aliquis laborioſam, nec admodum honorificam falsò exiſtimaret, prudenter, vt omnia alia, iudicauit viro prudenti, forti, impigro, & illuſtri mandandam, qui rem tam neceſſariam non modo fortiter obiret; ſed etiam illi ſuo ſplendore, et amplitudine plurimum dignitatis adiungeret. Tu uero, ut uetus illud elogium

in te uerissime uſurpemus: talis es uir, ut nulla res tanta ſit, ac tam difficilis, quam non et conſilio regere, et integritate tueri, et uirtute conficere poſſis. In eam curam cum intelligerem toto pectore te incumbere, meditantem, et conquirentem quid ea de re leges præſcriberent, quæ ueterum exempla, et inſtituta extarent: pro mea in te obſeruãtia faciendũ putaui: ut quæ de re frumentaria, totaq; iſta ratione in libris noſtris Ciuilium obſeruationum ex idoneis auctoribus collegiſſem, uno capite comprehenſa ad te mitterem: ut longæ inquiſitionis laborem, quantum in me eſſet, tibi demerem, aut certe leuarem. Ea tibi ita placuiſſe, ut me, quò illa ede re uellem, cohortareris: Vlyſſes Baſſianus iuris, & omnis elegantiæ conſultiſſimus, & utriuſq; noſtrum amantiſſimus mihi renuntiauit. Ac mihi quidem cogitanti tu recte monere uiſus es, incohoandi operis partes, ex quibus in præſentia certus fructus capi poſſit, non eſſe ad integram editionem differendas, quam ſcilicet operis magnitudo nondum abſoluta retardaret, præſertim cum iam idem anno proximo in alia parte fecerim. Itaq; partẽ hanc de re frumentaria, cùm quòd ad iſtam adminiſtrationem tuam pertineat: tum quòd tua cohortatione, cui parendũ fuit, edatur, tibi dicamus: ut cuius auctoritate nunc prodit in uulgus: eiuſdem patrocinio tuta ſit à quorũdam obtrectationibus, quos præ nimia reprehendendi libidine etiam aduerſus publicam utilitatem ſentire uideri non pudet. Vale.

ANTONII MASSAE GALLESII EX LIBRIS CIVILIVM OBSERVATIONVM.

CAP.

DE RE FRVMENTARIA.

ANNONAE, commeatuſq; ſignificatio affinis quidem eſt : eam tamen animaduerti in uſu loquendi ueteribus fuiſſe differentiam, ut quemadmodum de cibarijs ad alendum exercitum, aut multitudinem aliquam caſtrenſem neceſſarijs loquentes, commeatus uocabulo utebantur, raro priuati hominis, uel urbis commeatum dicebant : ita annonam exercitus uix dictam eſſe reperias, ſed urbis, & priuatorum. Ipſius quoq; annonæ uocabulum, tametſi omnia ſine dubio cibaria comprehendit, in frequentiori tamen uſu pro unius anni frugum prouentu, plerunq; etiam pro re tantum frumentaria eſt acceptum. Victus, & alimentorum uocabula eiuſdem ſignificatus eſſe ait Labeo Iurecos. Quod comprobant Vlpianus, & Iabolenus, cum ille ita dicat. Verbo victus continentur, quæ eſui, potuiq;, cultuiq; corporis, quæq; ad uiuendum homini neceſſaria ſunt : ueſtem quoq; uictus habere uicem Labeo ait. Iaboleni uero hæc ſit ſententia. Legatis alimentis, cibaria, & ueſtitus, & habitatio debebitur, quia ſine his ali corpus non poteſt. Quæ quoniam latius patent, quàm commeatus, atq; annona, & de exercitus commeatu dicendi locus aptior eſſe uidetur, ubi de Imperatoris officio tractabimus, hic de urbana duntaxat annona, & re frumentaria ſermonem habere conſtitui.

l. fi. ff. de alim. & cibi. leg.

De reg. iu. l. verbo victus.

l. legatis ff. de alim. et cib. le.

Tres autem ſunt omnino, qui annonam ſequuntur euentus: Aut enim ex frugum copia uilior eſt annona, aut ex inopia carior, aut quia frugum ſit quantum opus eſt, habet annona medium quendam modum. Hinc quaſi per gradus quoſdam rei annonariæ diuerſa, contrariæ etiam ſignificationis inuenta ſunt uocabula: ut copia, uilitasq́;: modus quidam, & quantum neceſſitati ſufficiat: inopia, caritas, & fames. Cum enim id, quod ſufficit, in medio poſitum ſit, hinc ex copia uilitas, inde ex inopia caritas, ex diuturna caritate naſcitur fames. Copiæ ſignificationi reſpondet abundantia: penuria uero maiorem habet, quàm frugum inopia, ſignificationem: eſt enim uox à penu ducta, ideóq; propriè rerum ad penum pertinentium inopiam ſignificat. Omne autem, quo ueſcuntur homines domi reconditum, eſt penus. Sed quoniam in alijs pleriſq; rebus penuriæ uocabulum per tranſlationem uſurpatum eſſe inuenitur, non abſurdè annonæ, frugumq́; penuriam dicere poſſumus.

Quemadmodum copia, ita & inopia rei annonariæ cauſas habet, partim cœleſtes, partim humanas. Ex cœleſtibus prouenit agrorum fertilitas, & ſterilitas, itemq́; peſtilentia, propter quam agrorum cultura negligi ſolet: quod ſimiliter ex bello, alijsq́; humanis cauſis accidit. Ex agrorum uero ubertate, ac diligenti hominum cultura efficitur abundantia. Sæpe etiam, quanquam rerum quidam modus eſt, qui ſufficere poſſit, annona tamen ingraueſcit, aut eorum opera, qui coëmptas merces ſupprimunt (quos noſtri Iuriſconſulti Dardanarios appellant), aut locupletiorum, qui ſuos fructus, dum minus uberes prouentus expectant, æquis pretijs uendere nolunt. 2

Vlp. in .l. anno. .ff. de extraor. crim. Paulus ī .l. Dardan ff. de pœnis.

Per hæc autem cognitis generatim cauſis, facile, ut puto, fuerit

to, fuerit cuicunq; ciuitatis Præſidi proſpicere, ne ciues annonæ penuria laborent; ſed quò id facilius adhuc efficiatur, quæcunq; de ijs obſeruata collegi, proponere non grauabor.

3 Ad eorum, qui primi Vrbes condunt, prouidentiam pertinere ait apud Platonem Socrates, ut conſiderent regionem, atq; agri modum, unde incolarum omnis multitudo ali poſſit, & uiuere temperate, ac liberaliter. Cui conſentaneum eſt quod Ariſtoteles ait. Agrum omnes eum laudant, qui abunde ſufficere poteſt: ut ſit huiuſmodi, uberem eſſe, omniumq; rerum feracem neceſſe eſt: etenim rerum omnium copia, nullius inopia, eſt commoditas ſatis multa. Huc reſpiciens Alexander Magnus, cum ei Dinocrates architectus Atho montem in hominis figuram, habitumq; ſe formaturum eſſet pollicitus, qui leua manu urbem contineret, dextera uero pateram, qua omnium eius montis fluuiorum aquam exciperet, atq; in mare profunderet: quæſiuit ab architecto, eſſet'ne Vrbs agros habitura, cuius frugibus aleretur: negauit ille, ſed frumento aliunde aduecto opus fore dixit; rem, nihil cunctatus, improbauit Alexander, futurum dicens, ut ſi quis eò coloniam deduceret, eius iudicium uituperaretur. Vt enim natus infans ſine nutricis lacte neq; alitur, neq; adoleſcit: ita ciuitas ſine agris, & frugum copia nec conſtitui, nec hominum cœtu frequentari poteſt.

De Legi. dial.v.

Polit.vij.

Vitru.li.ij.

Cic.offic.ij.

Conditis autem Ciuitatibus, curare debent illarum Rectores, ut habeatur, conſeruetur q; copia frugum: quibus autem rationibus id fieri poſſit, hinc dicere aggrediar.

4 Sapienter, ut cætera, Socrates dixiſſe fertur, Bonos Ciuitatum Præſides fore, qui ſunt boni patresfamilias, & rerum priuatarum curam multitudine ſolum à Reip. gubernatione differre: in cæteris uero huic ſimilem eſſe. Quod

Xenoph. de dict. & fact. Socr. lib.iij. Contra tñ Ariſt. Poli. lib.i.cap.i.

quia in annonaria procuratione uerißimum eſſe manifeſto apparet, non erit fortaſſe inutile, ſi conſideremus in huiuſmodi cura quodnam Patrisfamilias officium debeat eſſe. Id autem in eo uerſari uidetur, primum ut prouideat, præcaueatq; ne unquam eius familia (quoad eius fieri poßit) inopiam annonæ ſentiat: Deinde ut curet, ſi quo caſu improuiſa inciderit inopia, ne tranſeat in famem. Hæc autem eodem modo Præſes Ciuitatis curare debet.

Sabell. in lib. de Magiſtratibus Venet:

Apud Venetos olim huic rei Magiſtratus eſt inſtitutus 5
(Præfectos appellant frumentarios) qui curarent, ne Ciuitas quandoq; annonæ caritate premeretur. Quod ut tutius præſtari poſſet, auri uis ingens in hunc uſum conflata eſt, atq; inſtitutum, ut cum annona ingraueſcere cœpiſſet, confeſtim ex publicis horreis uulgus ſubleuaretur: Idq; fermè ſemper præſtatur, ut niſi in ſumma tritici ubertate, aliquanto uilius, quàm priuata, publica ueneat annona. Atq; ut maiore ſtudio triticum undiq; conuehatur, alius inſtitutus eſt magiſtratus, qui certam frumentatoribus pecuniam in ſingulos modios conſtitueret, ita ut pluribus aureorum nummum millibus negotiatoria ſtare ſoleat Reip. frumentatio. Quam ob rem uilius ea in urbe, quæ medys ſita eſt aquis, uenit annona, quàm ubi ſummo ſtudio coluntur agri. Nobis ad id redeundum eſt, quod propoſueramus.

Cato de re.ruſt. cap.1.

Prouerbij loco ſcriptum reliquit Cato, Patremfamilias, 6
(quantum attinet ad annonam) uendacem, non emacem eſſe oportere. Talis autem eſſe non poteſt, niſi qui agriculturam exerceat. Itaq; & Ciuitatis Præſes in primis curare debet, ut Ciuitatis ager quàm plurimus colatur: hoc enim pacto frugum erit aſſidua copia, eritq; ciuitas, ſicut bonus ille Paterfamilias, uendax, non emax: ob hanc cauſam affirmant

ſirmant Indiam ſame, aut annonæ inopia nunquam premi. Diodo. Sic.li.iij. cap.x. *Quod noſtris quoque temporibus de Aegypto, Sicilia, & alijs etiam intra Italiam agriculturæ ſtudioſis regionibus licet affirmare. Oportet autem Principem Ciuitatis, quemadmodum & Patremfamilias, non ignorare, tum quanto ſingulis annis & in uictum, & in ſementem frumenti numero ſit opus; tum quanta meſſis facta ſit, quanta'ue ſementis: ut ratione ſubducta prouideat antea, expectandum'ne ſit ex futuris meſſibus quod redundet, ac uendi poſſit, an quod deficiat, aliunde compenſandum. Nec ea difficilis eſt omnino contra agrorum mala, prouidentia, ne annonæ inſerant caritatem: niſi, ut ait Plinius, calumniari naturam rerum homines, quàm ſibi prodeſſe malint: Vulgatum eſt enim illud Democriti, qui ridentibus eius ſtudia opulentis ciuibus, præuiſa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, magna tum uilitate propter ſpem oliuæ, omne oleum in tota regione coëmiſſe dicitur: mirantibus ijs qui paupertatem, & quietem ob ſtudia doctrinarum ei ſciebant in primis cordi eſſe. Atque ut apparuit cauſa, & ingens diuitiarum curſus: merces anxiæ et auidæ dominorum pœnitentiæ reſtituit, contentus ita probaſſe, opes ſibi in facili, cum uellet, fore. Simile quiddam & de Thalete affirmant Ariſtoteles, & Cicero. Idem quoq; eadem ratione Pub. Sextius Romanus Ciuis philoſophiæ ſtudioſus Athenis feciſſe traditur. Nec deſunt in omnibus regionibus agriculturæ periti, qui multo ante meſſem proſpiciant, ubertas'ne frugum futura ſit, an inopia. Hoc autem præcognito haud difficile fuerit, inita, ſubductaq; ratione ante meſſem, aut ea dum ſit, omnino ante quàm pateſiat inopia, ex alienis regionibus, quod opus eſt, conquirere, atq; comparare. Quod quo facilius, ac ce*

Xenoph.de dict. & ſact. Socr. lib.iij.

Ariſt.Rhet.i.

Li.xviij.ca. 28.

Polit.i.de Diui. Plinius ibidem.

B

Ariſt.Rhet.i. lerius fieri poſſit, beneuoli habendi ſunt finitimi, & ij, ſine quibus rerum ultro, citroq; neceſſariarum liber commeatus eſſe non poteſt. Hoc enim pacto uilius emetur, & emptum ex quamuis longinquo terrarum, maris'ue tractu æſtiuis menſibus facile conuehetur. Nam multos nimium cunctantes, uel eos, quos dixi finitimos inimicos habentes, præter quàm quòd carius emunt, emptio plerunq; fruſtratur, cùm ob hyemales tempeſtates, & alia uiarum incomoda, tum etiam quòd alibi quoque annona ingraueſcente, quod ad nos conuehi ſperamus, ab alijs intercipitur. His incommodis, & difficultatibus noſtra quidem ætas ſæpius eſt afflicta: nec uero ſemel Romani olim ipſi iiſdem ſunt affecti: ſed ex multis unum, alterum'ue exemplum ponere ſatis erit. Anno Vrbis ducenteſimo ſexageſimo ſecundo. T. Geganio Macerino. Dioniſ.lib.vij. P. Minutio Augurino Coſſ. cum propter ſeceſſionem plebis derelicta ſemente facta eſſet frugum inopia, & reconciliata non multo ante brumam plebe Senatus in Hetruriam, in Campaniam, ac Pomptinum campum, & ad Gelonem Siciliæ tyrannum miſiſſet Legatos, qui frumenti, quantuncunque poſſent, plurimum ementes conueherent, accidit ut in Siciliam profecti, tempeſtate iactati, ac circuire inſulam coacti tardius ad tyrannum peruenerint, atq; ibi per hyemem commorati, poſt meſſes in Italiam ſint reuerſi: miſſi uero in Pomptinum campum, Romanis exulibus accuſantibus, parum abfuit, quin à Volſcis, ut exploratores interficerentur, difficillimeq; corporibus per hoſpitum promptitudinem ſeruatis, ſine pecunijs re infecta Romam rediere. Eadem pericula in Campaniam miſſi Cumis ſubiere. Ex vrbibus autem Hetruriæ frumentatores miſſi, milium, et far coëmptum in Vrbem fluuialibus ratibus aduexerunt. Eiuſmodi frugibus bre-

ue

uc quoddam tempus Romani ſubleuati ſunt, atq; ijs conſumptis in eandem penuriam reciderunt. Nec erat ullum cibi genus quod non tentarent. Eorum itaq; non pauci, partim ob indigentiam, partim ob minime ſalubres cibos, humanoq́; uictu alienos, aut infirma erant ualetudine, aut propter inopiam neglecti fame morbo'ue conſumebantur. Nec diſſimile fuit, quod anno Vrbis trecenteſimo decimo quinto, Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato Coſs. accidit. Liu. lib. iv.

8 Vt uero quàm plurimus ager bene colatur, habenda eſt ratio colonorum, ut ſecuri, atque alacres colere, ac perceptas fruges æquis pretijs uendere poſſint. Quam ob rem iure noſtro ciuili prudenter cautum eſt, ne ruſtici agricolæ ad ullum aliud ciuile obſequium deuocentur. Atque ut tam ipſi agricolæ, quàm ſerui eorum, & boues aratorij, inſtrumentaq; aratoria, & demum quicquid ad culturam agri pertinet, non ſolum à muneribus, ut dictum eſt, uacent, ſed etiam debiti, aut pignoris cauſa capi, & abſtrahi non poſſint. Et Platonem imitatus Calliſtratus iuriſconſ. ne auocentur ab opere ruſtici, dicit, ubi cultores agrorum annonam in ciuitatem detulerint, ut ipſi diſtrahant, debere eſſe quibus confeſtim eam uendendam tradant, & ipſi ad opera ſua reuertantur. Et ne cultura deſeratur, conceſſum eſt, uti liceat unicuique deſertos, domino ceſſante, incultoſq́; agros occupare, atque ad culturam reducere. Quod imitati Romani Pontifices in Corneti, & alijs quibuſdam Romanæ Eccleſiæ locorum agris, in quibus ob aëris intemperiem pauci ſunt coloni, publicis decretis indulſerunt, licere quibuſcunq; etiam exteris, quoſcunq; uoluerint agros, qui ab eorum dominis, aut alijs non colantur, occupare, & colere, inuitis etiam dominis, quibus certa collectarum frugum portio deinde tra-

C. eo. tit.

L. executores. et auc. ibi. poſ. C. Quæ res p. g. obli. poſſ.

C. de omni agro deſer. l. ꝗ agros

datur. Elienſium regionem & hominum multitudine, & rerum omnium copia inter cæteras Peloponneſi regiones fuiſſe refertiſſimam narrant, quòd magna pars gentis ita eſſet agri colendi ſtudio dedita, ut ſecundam, & tertiam ætatem ruri agens, magnis alioquin diuitijs prædita, nunquam ciuitatem ingrederetur. Quod ita accidiſſe auctor eſt Polybius, Polyb.lib.iv. *quia Ciuitatis optimates, agrorum cultores in honore habebant, ac diligenter obſeruabant, ne quid uel ad uſum uitæ non haberent, ne'ue iniuriam à quopiam acciperent. Vtiliſſimum fore ait Xenophon, ſi agricultura per contentionem* In li.cui tit. Hieron.uel tyran. *exerceatur, multumq; illi acceſſurum, ſi quis per agros, & uicos præmia conſtituat ijs, qui quàm optime terram excoluerint: eum uero, qui ex ciuibus maxime in hanc curam incubuerit, multa Reip. bona præſtiturum: quandoquidem (inquit ille) & creſcent Reip. prouentus, & ſobrietas occupatos magis comitabitur, & operi intentis minus orietur ſcelerum. Hac de cauſa Numa Pompilius Romanorum Rex* Dioniſ.lib.ij. *prudentiſſ. agrum omnem diuiſit in pagos, præfecitq; pagis ſingulis ſingulos magiſtratus, inſpectores, & cuſtodes ſuæ quoſq; partis: hi enim circumeuntes aſſidue, bonosq;, et malos deſcribentes agricultores Regi deferebant: interdum quoq;* Plutarc. in vita Numæ. *& ipſe inſpectans, & ex operibus mores coniectans, diligentes comitate complectens, ad honores, & ſecreta conſilia promouebat, inertes uero, & negligentes uituperans, & abijciens, caſtigabat, atq; ad melius colendos agros inſtituebat. Et Ancus Martius Numæ ex filia nepos, ſegnem turbam ad operas proprias dimittens laudabat quidem diligentes agricolas, obiurgabatq; malos præſides poſſeſſionum ſuarum tanquam non firmos ciues. Quibus non eſt abſimile id quod Mileti olim geſtum eſſe legitur. Cum enim ea urbs eſ-*

ſet

ſet ſupra modum ſeditione afflicta, eam ſeditionem Parij ex omnibus Græcis correctores à Mileſijs delecti hunc in modum ſedauerunt: Nam cum Miletum ueniſſent uiri inter Parios præſtantiſſimi, cernerentq; domos uehementer labefactas, dixerunt ſe uelle regionem eorum peragrare: id facientes, & omnem agrum Mileſium luſtrantes, ut quemq; fundum animaduertebant bene cultum, fructumq; emittentem, conſcribebant domini nomen: peragrata omni regione, cum paucos eiuſmodi fundos comperiſſent, in urbem redierunt, coactoq; cœtu decreuerunt urbem ab ijs eſſe incolendam, quorum agricolarum fundos bene cultos inueniſſent, uideri enim illos ita curaturos publica, ut ſua ipſorum curauiſſent: cœteros Mileſios qui prius ſeditioſi fuiſſent, iuſſerunt horum dicto audientes eſſe. Ita Mileſios Parij correxerunt, bonos agricolas, bonos Ciuitatis rectores fore exiſtimantes. Eandem ob cauſam apud poſteros etiam Romanos, agrum male colere, cenſorium probrum iudicabatur: atque, (ut refert Cato) quem uirum bonum colonum dixiſſent, ampliſſime laudaſſe exiſtimabant: talibuſq; moribus non modo ſufficiebant fruges, nulla prouinciarum paſcente Italiam, uerum etiam annonæ uilitas incredibilis erat: quia ſcilicet agriculturam non ergaſtulorum uincti pedes, damnatæ manus, inſcripti uultus exercebant, ſed ipſorum Ciuium, atq; Imperatorum manibus colebantur agri, qui eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eademq; diligentia arua diſponebant, qua caſtra: quemadmodum honeſtis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curioſius fiunt.

Herod. lib.v.

Pli. li.xviij.c.iij.

9 *Ne quis autem humilem, et Principe uiro parum dignam eſſe annonariam curam exiſtimet, præter Philoſophorum definitionem, qua dicitur Ciuitas eſſe domorum multitudo, cui et agri,*

et rei ſatis eſt ad bene uiuendum, non deſunt exempla ſummo
Plin.lib.ſupraſ. rum Principum, qui de cultura agri præcepta literis mandaue
runt, ueluti Hyero: Philometor: Attalus, & Archelaus,
Lucanus li.iij. & qui præcipuam ſibi ſecerunt annonæ curam: ueluti C. Iu-
lius Cæſar pulſo ex Italia Pompeio Romam reuerſus inter
alia benignitatis opera, cum ſciret populo nihil eſſe gratius,
aut optatius annonæ uilitate, Curionem quidem in Siciliam,
Valerium uero Legatum in Sardiniam miſit, ut inde quan-
tam poſſent maximam frumenti copiam adueherent. Atqui
Suetonius. Cæſar Auguſtus aiebat impetum ſe quandoq; cepiſſe, fru-
mentationes publicas in perpetuum abolendi, quòd earum fi-
ducia cultura agrorum ceſſaret: Quemadmodum & Domi-
Idem Suet. tianus in ſumma ubertate uini, frumenti uero inopia, exi-
ſtimans nimio uinearum ſtudio negligi arua, edixit, ne quis
in Italia nouellaret, utq; in prouincijs uineta ſucciderentur,
relicta, ubi plurimum, dimidia parte; quanquam rem exe-
qui non perſeuerauit. Nec immerito Principibus annonæ 10
cura cordi eſſe debet, cum magni ſit momenti, non ſolum ob
priuatorum incommoda, & ex acerbitate famis interitum,
ſed etiam quòd hinc & ipſorum Principum, & totius Reip.
Capitolinus. pendeat ſtatus. Nam ut nihil eſt lætius populo ſaturo (quod
eſt ab Aureliano Imperatore dictum) ſic fames contra ma-
gnorum ſemper eſt malorum cauſa, offertq; ſeditionis, et incun
Lucanus lib.iij. dæ tyrannidis occaſionem. Quapropter recte Lucanus ait,

„ Irarum cauſas, & ſumma fauoris
„ Annona momenta trahi: nanq; aſſerit urbes
„ Sola fames, emiturq; metus, cum ſegne potentes
„ Vulgus alunt: neſcit plebes ieiuna timere.

Quo pacto Sp. Melius ex equeſtri ordine Rom. ciuis prædi-
Liu.lib.iv. ues in Vrbis fame, cuius modo mentionem feci, frumento in

Hetruria coëmpto, largitione delinita plebe per illius fauorem occupandæ tyrannidis conſilium cepit. Quid? quòd potentiſſimis principibus imperantibus Auguſto, Tiberio, & Claudio potuit annonæ caritas plebem concitare. Quam ob rem Sueton. *Auguſtus duriore annona, cum tumultus metueretur, libertino milite, (quod rariſſime facere conſueuerat) uti coactus eſt. Tiberio principe ad ſeditionem prope uentum eſt, an-* Cor.Tacit.li.v. *nona per plures dies in Theatro licentius efflagitata. Clau-* Sueton *dius uero, tametſi Vrbis, annonæq́; curam ſemper ſuſtinuit, arctiore tamen annona ob aſſiduas ſterilitates à turba, medio foro quandoq; retentus, & conuicijs, paniſq; fragmentis appetitus ægre, nec niſi poſtico euadere in palatium ualuit. Tanti ergo ſtat Ciuitatum moderatoribus neglecta an-nonæ cura. Quapropter anno poſt exactos Reges altero, cum* Liu.lib.ij. *Porſena Rex Hetruſcorum infeſto exercitu Romam ueniret, Senatus non ſolum hoſtes, ſed ſuos etiam timens ciues, ne metu perculſi receptis in Vrbem Regibus cum ſeruitute pacem acciperent, multa blandimenta plebi dedit: ſed annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum alij in Volſcos, alij Cumas miſſi.*

Non itaq; fortaſſe inconſultum eſſet in ſumma frugum copia, certum frumenti numerum publica pecunia coëmptum in horreis publicis ad annonam incidente inopia leuandam ſeruare, ſingulis interim annis, ne ſitu putreſceret, renouandum: Quod à Romanis, exteriſq́; Regibus, & Ciuitatibus vt Geneſ.ca.41. *factitatum eſſe paſſim legitur.*

11 *Sed ſi omnino frugum inopia incidat, uel quòd ager ſit anguſtus, aliqua'ue de cauſa incultus, uel quòd propter cœli grauitatem frugibus fuerit infeſtus annus; ac propterea frumentum ſit ex alienis terris petendum: tunc Præſidi curæ*

creſcunt : etenim curandum eſt, ut frumenti coëmatur quantum ſufficere poſſit, utq́; id ſuo tempore aduehatur : Nec minus interea in poſterum etiam annum longe eſt proſpiciendum. Parum uero conſultum eſſe exiſtimo ad leuandam inopiam ſolis mercatoribus fidere, quorum fidei Princeps tum populi ſalutem, tum exiſtimationem ſuam committat. Primas enim parteis apud illos quæſtus, et lucrum, poſtremas fides, & religio tenent. Hoc, ſi quis dubitet, uel ex eo facile intelligat, quòd in omni re contrahenda aduerſus damna potiſſimum diuinam implorant opem; tum quòd eorum pleriq; fidei, & amicitiæ obliti per ſummam fraudem ſimulatis calamitatibus, & conturbatis rationibus ſponte ſibi decoctorum nomen adſciſcunt : Tanti eſt apud eos diſpendij metus, & paupertatis. Et in hac ipſa re frumentaria non ſemel tempeſtate noſtra deceptos eſſe uidimus, qui ſpem ſuam in mercatoribus repoſuiſſent. Prudenter igitur Cæſar Curionem, & Valerium, ut ante dixi, uiros nobiles, & amicos fidiſſimos miſit. Ad Gelonem uero Siciliæ tyrannum, cuius etiam ſupra mentionem feci. P. Valerius Publicolæ F. & L. Geganius T. Geganij Coſ. frater, ambo patritij uiri ſunt profecti. Cn. uero Pompeium principem Ciuitatis Romani aſſidua fame diutius uexati annonæ omnis præfectum, & prouiſorem elegere. Is in diuerſa loca ex amicis legatos miſit, ipſe in Siciliam, & Sardiniam, deinde in Africam nauigauit, & magna ui frumenti, aliorumq́; ad uictum neceſſariorum comparata, cum mare procellis agitaretur, & Gubernatores ſe nauigationi committere timerent, primus nauem conſcendens anchoram ſolui iuſſit clamitans, nauigare eſt neceſſe, uiuere non eſt neceſſe. Hac animi magnitudine uſus lætiore cum fortuna omne forum annona, omne mare na

Pluta. i eius vita
Abreuiator Liuij
Appian. lib. ij

uibus

nauibus impleuit. Ea res ſi per mercatores eſſet adminiſtrata, aut uirum quempiam minus gloriæ cupidum, niſi ſedatis fluctibus, & tempeſtate commutata frumentum in Vrbem aduectum non eſſet. Auguſto quoq; Imperatore, Tiberius illi ſucceſſor futurus, annonæ, quæ arctior inciderat, cura ſuſcepta, rem frumentariam adminiſtrauit. Quòd ſi ob anguſtias ærarij, ſiue aliam ob cauſam omnino per mercatores negotium ſit agendum, erit ijs conſulendum, proſpiciendumq;, ut fide publica damni præſtandi interpoſita, certum lucrum faciant. Sic enim Senatus Rom. bello punico ſecundo, cum eſſet ærarium inops, et exhauſtum, T. Sēpronio Graccho, M. Marcello Coſſ. frumentum, ueſtimenta, eaq; omnia, quæ exercitui Hiſpanienſi, & naualibus ſocijs opus eſſent, publicanorum ſocietati locauit ea conditione, ut quæ nauibus impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſq; ui publico periculo eſſent, addito etiam præmio, ne alij eo triennio publicani eſſe poſſent. Claudius uero Cæſar, cum à turba, ut ante dixi, euaſiſſet, ad replendam etiam hyberno tempore Vrbem, inter alia, quæ multa excogitauit, & naues mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda, & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet. Quòd ſi ſolum proponatur lucrum, id quàm ante, maius ſit oportet, ut eius illecti ſpe negotiatores periculo pecunias ſuas committant. Hac ratione cum ad Pylum in inſula Sphacteria Lacedæmonij milites ab Athenienſibus obſiderentur, eſsetq; obſeſſis cibi, & aquæ inopia, Lacedæmonij edixerunt, ut quiſquis uellet, illuc frumentum molitum, uinum, & ſiquid aliud eſculenti eſſet obſeſſis utile, comportaret, magno pretio conſtituto, ſeruis etiam libertate promiſſa. Ita cùm alij, tùm uero ſerui adito periculo

Liu. lib. xxiij.

Thucid. lib. iv.

L.i.C. ne lic: in emp. ſpec. ſe excuſ. *comportabant. Permittitur etiam iure noſtro ciuili, ut non ſuppetentibus ex publico pecunijs, ad coëmendum frumentum ab omnibus incolis pecunia colligi poſſit, à cuius collationis onere, nemo eſt immunis. Proderit etiam ſi proponatur edictum, quale habemus ex lege Conſtantini Imp.* L.i.C. de nauicu. *Vt ſpecies annonarias deferentes, nec concuſſiones patiantur, nec aliquod genus incommodi, ſed uenientes, ac remeantes omni ſecuritate potiantur. Et ſi pro unaquaque menſura, quam deferent, aliquid præmij loco ex publico pendatur; Quod apud Venetos factum eſſe diximus. Et ſunt qui ita interpretentur feciſſe Honorium, & Theodoſium Rom. Impp. circa frumentum, quod in Alexandrinam Aegypti Ciuitatem deferebatur.* L.i.C. de frumē. Alexandri.

Inſequentium quoq; annorum, ut dixi, ratio eſt habenda. In primis autem ſi forte peſtis, belli'ue, aut alia quacunque de cauſa deſerta, aut diminuta fuerit agrorum cultura, curandum erit, ut in priſtinum, melioremue modum reſtituatur. Hoc quoque Romanorum exemplis docemur. Liu. lib. xxij. *Nam bello Punico ſecundo Val. Leuinus Coſ. pacata Sicilia coëgit Siculos poſitis tandem armis ad agrum colendum animos conuertere; ut eſſet non incolarum modo alimentis frugifera inſula, ſed Vrbis etiam Romæ, atque Italiæ annonam leuaret. Anno eiuſdem belli XIII. L. Veturius Philo.* Liu. lib. xxvij. *Q. Cæcilius Metellus Coſ. prius quàm proficiſcerentur ad bellum, admoniti à ſenatu, ut in agros reducendæ plebis curam haberent: Deum benignitate ſummotum bellum ab Vrbe Roma, & Latio eſſe; & poſſe ſine metu in agris habitari: minime conuenire Siciliæ, quàm Italiæ colende maiorem curam eſſe. Et quanquam res erat populo difficilis, & liberis cultoribus bello abſumptis, & inopia ſeruitiorum, &*

pecore direpto, uilliſq; dirutis, aut incenſis: magna tamen pars auctoritate Conſulum compulſa in agros remigrauit. Superiori etiam tempore anno Vrbis CCCXXII. magna clade ex peſtilentia in Vrbe, agriſq; promiſcue hominum, pecorumq; accepta M. Fabius Vibulanus, & alij, qui tunc erant Tribuni militum conſulari poteſtate, famem cultoribus agrorum timentes, in Hetruriam, Pomptinumq; agrum, & Cumas, poſtremo in Siciliam quoque frumenti cauſa miſere. Inſequenti uero anno uis morbi leuata, neq; à penuria frumenti, quia ante prouiſum erat, periculum fuit. Q. uero Fabius Max. III. Coſ. Marcello ſuffectus ſecundo bello Punico, ne direptis ab hoſtibus uillis inopia frumenti laboraretur, conſulto prius Senatu edixit, ut frumenta omnes ex agris ante Cal. Quintileis primas, in Vrbes munitas conueherent: qui non inuexiſſent, eorum ſe agrum populaturum, ſeruos ſub haſta uenditurum, uillas incenſurum. Liu.lib.iv. I iu.lib.xxiij.

Tertia cura eſt, ut caueatur ab inſidijs Dardanariorum, hominumq; eiuſmodi, qui maioris lucri cauſa annonam comprimunt; aduerſus quos tutiſſima cautio erit, ſi, ut ante dictum eſt, ſcire ſtudeat Princeps, quantum frumenti in Vrbem, atq; adeo in unamquanq; domum ſingulis annis fuerit inuectum. Quod cum factu non ſit difficile, poſſitq; magno eſſe emolumento, prætermittendum ullo pacto eſſe nõ uidetur. Vtcunq; autem comperta fraude, grauiter eſt in illos aimaduertendum; Quemadmodum legimus M. Valerio Meſſala, C. Liuio Salinatore Coſſ. Aediles Curules P. Claudium, et Seruium Sulpitium Galbam duodecim clypeos æratos in Capitolio poſuiſſe ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compreſſam damnarant, & Aedilem plebis Q. Fuluium Flaccum duo ſigna aurata, uno reo damnato: nam ſeparatim accuſauerant. Com- Liu.lib.xxxviij.

Lamprid.

L.i.C.ut ne.lic. in emp. ſpec.l. pro locis.C.de anno.et tribut. B.in.l.annonã C.de extraor. crim.

modus autem imp. eos, quorum cauſa inopia ingens Romæ exorta erat, cum fruges non deeſſent, omnes occidit, aut proſcripſit. Sed ſi per ante dictam diligentiam ſciatur quantum in unamquamq; domum fuerit frugum inuectum, non erit opus acrioribus his pœnis uti, ſed poterunt iure etiam permittente cogi, ut unuſquiſq; id, quod ultra familiæ ſuæ neceſſitatem habet, uenale exponat.

Alia, nec leuis erit cura, ut inuectum frumentum tum pretij, tum numeri ratione habita æqualiter diſtribuatur, fruſtra enim conueheretur frumentum, niſi conuecti fieret indigentibus copia; periculumq; eſſet excitandæ ſeditionis, qualis Romæ T. Geganio, P. Minutio Coſ. quorum ante mentionem fecimus, orta fuit ex diſtributione frumenti, quod ex Sicilia detulerant Legati ad quinquaginta modiorum Siciliensium millia: quorum erat dimidia pars paruo admodum empta pretio; reliquum tyrannus Gelo ſuis impenſis aduectum dono miſerat: donec poſt multas diſſenſiones ex S.C. decretum eſt, Pretia rerum uenalium quotidiani uictus talia eſſe, qualia præcipue ante ciuilem diſſenſionem, plebiſq; ſeceſſionem fuerant. Anno quoq; Vrbis CCCCLIIII. M. Fuluio Pæto, T. Manlio Torquato Coſ. cum præter multiplicia bella, quæ Vrbem circunſtabant, caritas etiam annonæ ſolicitam Ciuitatem haberet, uentum ad inopiæ ultimum, atq; ad ſeditionem foret, niſi Q. Fabij Max. Rolliani tunc Aedilis cura, qualis in bellicis rebus multis tempeſtatibus fuerat, talis domi tum in annonæ diſpenſatione, præparando, ac conuehendo frumento fuiſſet. Ex quibus illud quoq; diſcere poſſumus huic diſpenſationi non quemlibet hominem, ſed magnæ cum probitatis, et fidei, tum auctoritatis uirum eſſe præficiendum. Quam ob rem annonæ Præfecto, cui antiquiores principes

Liu.lib.x.

cipes

cipes eam Romæ curam demandauerant, Valentinus, & Valens Impp. Præfectum Vrbi adiunxerunt, ut eius muneris inter eos eſſet ſocietas. C. de off. Præf. Vrb. L. i.

Si ærarium tantam largitionem ferre poſſit, nulla eſt melior occaſio, qua quis boni Principis officio fungi, populiq; beneuolentiam ſibi conciliare poſſit, quàm ubi caritas eſt annonæ, ſi frumentum gratuitum, uel certe uiliſſimo pretio in plebem diſtribuat. Hoc ſæpiſſime factum eſt Romæ, cùm antea per Senatum, tùm poſtea per Imperatores. Ex multis autem hæc pauca exempla ſufficient. Manius Martius Aedilis plebis primùm frumentum populo in modios aſſibus donauit. Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit. Trebius in Aedilitate aſſibus populo frumentum præſtitit: atq; hæc ex Italicis duntaxat frugibus facta ſunt. L. Valerio Flacco. M. Portio Catone Coſſ. Aediles curules tritici Siculi modios decies centum millia binis æris in modios ſingulos populo diuiſerunt. Eodem pretio non multis ante annis. L. Cor. Lentulo. P. Villio Tappulo Coſſ. Aediles frumenti uim magnam ex Africa aduectam populo diuiſerunt. Octauius Auguſtus Imp. in annonæ difficultatibus frumentum ſæpe leuiſſimo, interdum nullo pretio uiritim admenſus eſt. Antoninus quoq; Pius uini, olei, & tritici penuriam per ærarij ſui damna emendo, & gratis populo dando ſedauit. Seuerus quoq; rei frumentariæ Vrbis, quam minimam repererat, ita conſuluit, ut excedens ipſe è uita ſeptem annorum canonem populo Romano relinqueret; ita ut quotidie multa modiorum quantitas expendi poſſet. Alexander uero populi Roman. commeatum ſic adiuuiſſe fertur, ut cum frumenta Heliogabalus euertiſſet, uicem de propria pecunia loco ſuo reponeret.

Pli. li. xviij. c. iij.

Liu. lib. xxiij.

Liu. lib. xxxi.

Sueton.

Iul. Capitolin.

Sparti.

Lamprid.

Sueton. *Inter alia autem aduerſus annonæ grauitatem remedia, quæ ſunt conſideranda, Octauius Auguſtus magna quondam ſterilitate, ac difficili remedio uenalitias, & laniſtarum familias, peregrinoſq; omnes exceptis medicis, & præceptoribus, partemq; ſeruitiorum urbe expulit.*

Illud uero erit ſummopere cauendum, ne in communi rei frumentariæ egeſtate Ciuitatis Rector conuiuia per luxum, et comeſationes agat, ſed potius quaſi calamitatis particeps triſtem ſe præbeat. Auguſti enim illa cœna, in qua Deorum, Dearumq; habitu diſcubuerant conuiuæ, in fabulis fuit, auxitq; cœnæ rumorem tunc in Ciuitate penuria, ac fames; acclamatumq; eſt poſtridie, frumentum omne Deos comediſſe. Nero autem Cæſar, cum in publica fame nauis Alexandrina puluerem luctatoribus aulicis attuliſſe nuntiaretur, omnium in ſe odio concitato, nihil contumeliarum defuit, quin ſubiret. 12

Suetonius.

Quæri poteſt an ad leuandam pauliſper famem, interim, dum aliunde conuehitur frumentum, cogendi ſint priuatim ciues, ut quantum frumenti quiſq; habeat, profiteantur, ex eoq; in commune conferant, quod indigentibus diſtribuatur. Sed eam dubitationem non difficile eſt tollere: Qui enim plus habent, quàm in eorum, & familiæ uictum ſit neceſſarium (id quod ſuperius dictum eſt) publicæ utilitatis cauſa: (nam aliàs iniuſtum ſit, in libera præſertim Ciuitate inuitis detrahere quod alijs concedatur) tam triſti tempore cogendi ſunt, ut quod eis ſuperſit, æquo pertio perſoluto, conferant in commune: At ex ea quantitate, quæ ſit homini ad uictum neceſſaria, quicquam detrahere, id uero nulla æqui, honeſti'ue ratio ferre poteſt. Eſt enim iniquum prorſus, & inhumanum, ac belluarum moribus ſimile, induſtrios uiros, quod 13

L. i. §. cura. ff. de off. Præf. Vrb.

ſe, filios, uniuerſamq; familiam tuendi cauſa parauerint, com pellere, ut ex eo detrahant, quo proditis liberis, & fami liaribus, ignauos homines, & inertes alant. Id nunquam factum eſſe legitur, quin magni mali periculo ſteterit. Quod accidit Proculo Geganio. L. Menenio Coſſ. Nam cum L. Mi nutius Præfectus annonæ creatus, multis circa finitimos po pulos legationibus terra, mariq; necquiq; miſſis, nullum mo mentum annonæ feciſſet, et reuolutus ad diſpenſationem ino piæ profiteri cogendo frumentum, & uendere quod uſui menſtruo ſupereſſet, fraudandoq; parte diurni cibi ſeruitia, criminando inde, & obijciendo iræ populi frumentarios acer ba inquiſitione aperiret magis, quàm leuaret inopiam, mul ti ex plebe ſpe amiſſa, potius quàm ut cruciarentur trahen do animam, capitibus obuolutis ſe in Tyberim præcipitaue runt: Et Sp. Melius, (ut ante dictum eſt) occaſionem ha buit tyrannidis affectandæ. Quo exemplo, (ut puto) docti paucis poſt annis Sp. Seruilius, & A. Verginius Coſſ. cum propter bella finitima, hoſtiumq; excurſiones aſſiduas non fa cta ſemente hyeme præterita, Romam ingens penuria deti neret plenam ipſam & domeſticæ, & confluentis ex agris turbæ, (erant enim ad quingenta humanorum capitum mil lia) iamq; prope ad ſeditionem uentum eſſet, prudenti conſi lio ſimul mittunt homines frumentum empturos multa pecu nia publica ex locis proximis, ſimul ſtatuerunt, ut quod erat in domibus plus moderato uictu repoſitum, in publicum effer retur pretio certum modum imponentes. Atq; hoc pacto cum pauperum iniquitates compeſcuiſſent, aſſumpſerunt appara tum in bellum: quo intra paucos dies confecto, parta uictoria, poſt non multos dies repleta eſt vrbs omni uenalium genere, miſſis rebus emptis publice, et qui antea ſolebant inferre, mer

Dioniſ. li. ix.

catoribus multum frumenti adducentibus, ita ut omnia in priorem redirent affluentiam.

Patere igitur arbitror, hoc remedium niſi in extrema neceſſitate non eſſe adhibendum, & tunc etiam relinquendum dominis, quod ſit ad eorum uictum neceſſarium, ſoluendumq; certum pretium eius, quod ijs fuerit ereptum; & ſimul oſtentandam populo eſſe ſpem certam, interim, dum ſic ex collato uiuit, frumenti ſatis aliunde conuehi. Multum etiam hoc *tempore* Reip. *opitulabitur diligens illa curatio, de qua dictum eſt ſupra, ut ſciatur, ſingulis annis, quantum ex agris frumenti ſit perceptum, quantum in* Vrbem *comportatum, quantum'ue in ſingulis domibus conditum: hoc enim cognito acerba illa inquiſitione quid cuiq; detrahatur, quid'ue relinquatur, ſuperſederi poterit.*

Quæcunq; autem de una Ciuitate*, atq; unius* Ciuitatis 14
Præſide dicta ſunt, eadem & de pluribus Ciuitatibus*, Pro-*
uincijs etiam, ac Regnis*, quæ in unius ditione, ac poteſta-*
te ſunt, intelligantur. Illi *enim omnium locorum, quæ obtinet,*
æque ac Ciuitatis *unius annona curæ eſſe debet:* Quemad-
modum legimus Cn. Pompei *procuratione non ſolum* Vrbi
Romæ*, ſed alijs quoq; extra* Vrbem *frumenti abunde inue-*
ctum eſſe, ueluti è fonte quodam immenſa frumenti copia
Capitolin. *manaſſet.* Et M. Antoninus *philoſophus* Imp. *qui de alimen-*
tis publicis multa prudenter inuenit, omnibus Italiæ Ciuitati-
bus, famis tempore ex Vrbe *frumentum donauit, omniq; fru*
Pli. Cæc. ī Pan. *mentariæ rei conſuluit.* Traianus *uero etiam extra* Italiam
Aegyptijs *annonam ſumma celeritate præbuit, cum eius tem-*
pore inopina ſiccitate, uſq; ad iniuriam ſterilitatis, non ex
undante, ut conſueuerat, Nilo, Aegyptus *exaruiſſet; om-*
nibuſq; pariter Imperio Romano *ſubditis ſi non ſterilitatem,*

at mala

at mala ſterilitatis exturbauit, ubertatiſq; bona importauit, & æternis commeatibus Orientem, & Occidentem conſnexuit, ut quæ ubique ferebantur, quæq; expetebantur, omnes inuicem gentes caperent.

Vulgatum atq; ab omnibus uſitatum eſt remedium, cum aliqua futuræ inopiæ ſigna tenent, ne frumentum ad alios tranſire permittant. ſed illud eſt à multis dubitatum, an recte conſulant, qui in caritate annonæ, frumentum ex agris unicuiq; Ciuitati ſubiectis in eam ferri iubent, ita ut nihil ad alia loca, etiam ſi eiuſdem ſint ditionis, importari poſſit. Quæ dubitatio poteſt ex proxime recitatis exemplis, atque ex multis iuris noſtri Ciuilis locis, nec minus ex eleganti quadam Veneti Senatus epiſtola facile ſolui: Ea enim ad ſingularum Venetæ ditionis Ciuitatum Prætores directa eſt his uerbis. Audiuimus iuſſiſſe uos frumentum omne, quod in agris ueſtris naſcitur, in Vrbes ueſtras inuehi; nec ullo modo uelle, ut quicquam ex eo tranſportetur. Hoc etſi aliàs probaremus, nunc tamen uolumus nullo diſcrimine poſſe alias Vrbes ab alijs adiuuari, modo ne ad exteros frumentum tranſeat: Imperium enim tanquam corpus unum eſſe debet: quare Ciuitates tanquam membra iudicanda ſunt: quemadmodum ergo membro membrum unius corporis opitulatur, ita unius imperij inter ſe Ciuitates inuicem ſe adiuuare debent. Vbi uero ſuſpicio, uel occaſio eſſe poteſt, ne in finitimos frumentum noſtrum perferatur, ibi, ne importetur, cauere maxime debetis. Quod ego ſane intelligendum eſſe cenſeo de eo frumento, quod uniuſcuiuſq; Ciuitatis populo ſit ſuperfuturum; cum alioqui impium fore uideretur, & inhumanum, uelle permittere, ut diuites lucri maioris cauſa extra propriam Ciuitatem fruges uenum deuehant, pau

L.i.et.ij.C.quæ res expor. non deb. l. ſi qs poſt C. de edif. priu. .l. Cotem. ĩ pr. ff. de publican.

peres uero tanto pretio emere non ualentes in eadem Ciuitate fame pereant.

Quoniam autem fieri non poteſt, ut Ciuitatis Princeps unus ſingula Ciuitatis munia per ſe ipſum obeat, ſed ſatis eſt ſi eius prouidentia, & auſpicijs per idoneos miniſtros gerantur, neceſſarium eſſe uidetur, ut certus annonæ Magiſtratus præficiatur, qui eam curam non extra ordinem, & penuriæ ſolum temporibus, ſed aſſidue, quemadmodum Romæ olim, & Venetijs, (ut ante diximus) ueteri inſtituto obſeruatur; ſuſtineat. Is uero Magiſtratus qualis eſſe debeat, quæ'ue ad eius officium pertineant, ex ijs, quæ diximus, (niſi fallor) intelligi poteſt.

FINIS.